Doctissimo Berthollet

autor.

De studiis graecarum et romanarum literarum in scholis acrius et rectius exercendis.

DISSERTATIO

qua

AD SOLEMNE EXAMEN

in Gymnasio Regio Posnaniensi

diebus 26. 27. 28. 29. Julii instituendum

omnes literarum cultores

invitat

Joannes Samuel Kaulfuss,

Philosophiae Doctor AA. LL. M. Gymnasii Regii Posnaniensis Director et Professor, Societatis Regiae Amicorum literarum Varsaviae et Societatis literariae Universitatis Cracoviensis sodalis.

POSNANIÆ

Typis Deckeri 1819.


Fundacji im. J. J. Michalskich
Ze zbiorów

In libello „*O Filologii*“ sermone patrio scripto, cujus pars in Ephemeridibus Varsaviensibus (Pamiętnik Warszawski) anno 1808 recepta, et qui totus apud Kornium Vratislaviae 1812 prodiit, doctis popularibus literaturae antiquae magnam et multifariam utilitatem exponere, iisque probare conatus sum, antiquarum literarum studium tanti momenti esse in excolendis viribus ingenii et in formandis moribus, ut inter omnes doctrinas quibus animos juveniles censeamus imbuendos et ad humanitatem erudiendos, primum merito obtineat locum, et totius institutionis puerilis habeatur fundamentum. Argumenta, quibus ad rem comprobandam usus sum, ex ingenio linguarum graecae et latinae atque totius literaturae antiquae desumpta, et multis, ex operibus Graecorum et Romanorum exemplis illustrata, plurimos etiam illorum, quibus disciplinae mathematicae et physicae, quae in patria nostra magna cum industria coluntur, et maxima auctoritate gaudent, hoc in loco studio literarum antiquarum praeferendae videbantur, ad meam perduxere sententiam. At multi ex me quaesiverunt qui fiat, ut quamvis argumenta, quibus studium antiquarum literarum tam sedulo commendaverim, vix refelli possint, magna tamen utilitas, quam afferre illud debeat, in vita non item conspiciatur. Consideremus, ajunt illi, eas nationes in quibus studium antiquarum literarum totius institutionis puerilis habetur fundamentum, ut ex. gr. in Germania, ubi in multis

scholis maxima pars temporis, nonnunquam fere cum detrimento aliarum doctrinarum (mathematicorum, physicorum, historiae) in hoc studio consumitur; quotusquisque est Germanorum qui praestantissimorum auctorum graecorum et romanorum opera perlegerit, vel, egressus e schola unum vel alterum auctorem romanum aut graecum in manus sumat? Sed demus, pergunt illi, quod tu in libello tuo affirmas *), ut, etiamsi hac ratione instituti postea obliviscantur antiquarum linguarum, fructus tamen maximi ex ipsa virium animi exercitatione remaneant, quemadmodum fidibus canere edocti agilitatem digitorum nanciscantur, etiamsi canticorum, quibus exercerentur, prorsus non recordentur — ne hos quidem fructus, ajunt, quos tu tam magni facis, in vita reperimus tam magnos, ut studio novarum linguarum aeque acquiri non possint. Comprobasse tibi videris in libello tuo, studio linguarum et operum Graecorum et Romanorum omnes ingenii vires ita exerceri, mentem acui, brevibus, animum humanum ita excoli, ut se ipso uti edoceatur et non perturbatus variis temere captis et pravis opinionibus, quibus vulgus tanquam vinculis obstringi soleat, ubique verum videre conetur, et justa de rebus judicandi ratione excellat, itaque ad veram accedat humanitatem. Quid? num tu probare potes, ne dicamus in nobis, verum adeo in populo, sospitatore studii antiquarum literarum, in Germanis, in vita tam excellentes, quos praedicas, conspici fructus? Plerosque ibi videmus captare nova quaequae, etiam perversissima; opiniones, quo magis pugnare videantur cum ratione, eo lubentius acceptas; animos hominum omnium ordinum in doctrina sacra, in philosophia, in artibus et in vita communi ubique imaginatione et inani specie abductos a sobria et justa de rebus judicandi ratione, quae e stu-

*) O Filologii p. 18 et quae sequuntur.

dio veterum auctorum redundare a te dicitur. Si igitur in ipsa vita non apparent fructus laudati hujus doctrinae, qua de caussa teramus maximam partem temporis institutioni juvenili tributi, in addiscendis linguis antiquis et in studio auctorum antiquorum, cum quae nunc acquiratur, novis linguis et nova literatura aeque atque illis acquiri possit utilitas?"

Quid ad haec respondeam, non habeo. Nam quis est, qui remotus a studio et ira, non concedat, e doctrina antiquitatis hos fructus non percipi, quos percipi posse res ipsa doceat, et qui uni magnum spatium temporis, quod in hoc studium impendatur, compensare possint? Videamus eos, quorum vita versatur in studiis literarum. Eximia est virtus auctorum graecorum et romanorum, ut vitae inserviant et usui; plerique vero philosophi novorum temporum, αεϱοβαται, eo magis sibi placent, quo longius abhorret eorum philosophia a vita et ab omni usu, dissimiles omnino summo illi philosopho, qui eo a prudentibus omnium temporum princeps philosophiae habitus et immortalitatem nactus est, quod *magistram vitae ab inutilibus disquisitionibus*, (unde omnia orirentur, quove reciderent) de caelo devocavit et in urbibus collocavit et in domos etiam introduxit et coëgit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere. *)

Studium operum Graecorum et Romanorum ad justam de rebus divinis sentiendi rationem ducere debet, ut res sacras veriti, neque laedamus, quod divinum habetur, nec somniemur et hallucinemur in rebus gravissimis. At nunc alii maximis superstitionibus inhaerentes ad absurdissima quaequae et noxia trahi se patiuntur, adeoque philosophi — ut nuper fecit Professor Lipsiensis — de ineptiis anicularum superstitiosarum disputantes, rem gravissimam suscepisse sibi videntur, alii om-

---

*) Disp. Tuscul. V. 4.

nia divina temere contemnentes, publice vituperant, quae ne offendere quidem fas est, cum omni tempore vitae agundae pulcherrima generi humano praebuerint adminicula, adeoque nonnulli Theologi, perfricata fronte, partes agunt Socratis illius Aristophanici: *)

ποῖος Ζεύς; οὐ μὴ ληρήσεις; οὐδ' ἐςι Ζεύς.

Divina et humana miscere seculum est.

Graeci et Romani optimi dicendi sunt magistri; praeclarorum operum eorum studio eo perduci debemus, ut discamus distincte, distribute, eleganter et ornate scribere. At vix unum vel alterum ex immensa novorum semper auctorum multitudine deprehendas, cujus ratio scribendi prae se ferat virtutes a studio optimorum auctorum graecorum et romanorum profectas, **) et quae redoleat suavitatem illam oratoris austeram et solidam, quae in auctoribus antiquis tam mirifice delectat et allicit lectorem. Alii enim in eo elaborare videntur, ut obscure vel sine omni elegantia scribant, perinde ac si lectores deterrere a lectione operum suorum velint, immemores Ciceronis verborum: „Nobis autem videtur, quidquid literis mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere.“ Alii eadem inconstantia, mobilitate, et levitate scribunt, qua vivunt. ***)

Et multae illae ineptiae philosophicae, poëticae, paedagogicae et politicae, quas aetas nostra a quinquaginta annis vidit, ab hominibus certe, studio antiquarum literarum excultis et nutritis, quomodo proficisci potuerint, vix intelligi potest.

Denique, quid dicamus de disputandi ratione cum aliis, qua

---

*) Nub. 366 ed. Herm.

**) Conf. Jahrbuch der Preuss. Rhein. Universitaet I. 1. p. 71. et quae sequuntur, quae vix legi possunt.

***) Qualis autem ipse homo esset, talem ejus esse orationem. Cic.

viri docti nostris temporibus utuntur? Ad praestantissimos studii operum Graecorum et Romanorum fructus pertinet, ut excolat judicium de pulchro, et si quae est disciplina, quae emolliat mores, nec sinat esse feros, literas antiquas hoc efficere, nemo est qui neget. Hinc fit ut sedate et modeste feramus, si alii nobiscum dissentiant, aliorum sententias veriti; ut redargui et refelli nos patiamur, vel, si ita visum fuerit, docendo refellamus et remoti a studio partium, alios non contemnamus propterea quod nobiscum non consentiant, ne dicis caussa tantum disputare videamur. At circumspiciamus nostros homines inter se disputantes — quotusquisque est eorum, qui memor aurei effati magni illius Romani: „tantum abest ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus; in ipsa enim Graecia philosophia tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset“ quotusquisque est, qui ferat, ut contra se aliquis surgat? Omnes se tantum verum videre et arbitrantur et autumant, ceterosque qui non assentiuntur, caecos et hebetes profitentes; quae ipsi proferunt, se ipsos invenisse proclamant, quamvis eadem saepe et subtilius et elegantius dicta sint antea a multis. At qui contra dicit, non modo reprehendunt, verum etiam consectantur clamoribus et conviciis, ita ut saepius non viros doctos disputantes de summis rebus, sed calones in popina rixantes conspicere tibi videare. Quid? nonne adeo in libello *) quodam diurno, asperis dictis scatente, effictis asinorum capitibus adversarios refellere conatus est auctor? Et in disceptationibus de utilitate artis gymnasticae, altioribus consiliis a Janio nuper accommodatae, innumera rusticorum et inconditorum morum vestigia ubique deprehenduntur, quae clarius etiam apparuere in mul-

*) Isis.

tis quae scripta sunt ab incendio librorum publice combustorum, quia juvenibus non placuere, usque ad casum post hominum memoriam atrocissimum, auctoris, qui propter hanc libertatem cecidit, quam omnes sibi permitti cupiunt, etiamsi ipse multa saepe immodeste dixisset; quorum omnium potius juvat oblivisci quam recordari, ne offendere voluisse videamur.

Considerantibus nobis haec, quorum tantum paucis verbis mentionem fecimus, omissis multis aliis, quae omnibus in mentem venient, cum recenter facta sint, mirum prorsus videtur, homines ab ineunte aetate studio antiquarum literarum nutritos, quo arta et circumscripta ratio cogitandi expelli, mens acui, mores emolliri et sermo excoli *) putetur, in vita, ne dicam non excellere, sed carere iis virtutibus, quae pulcherrimos studii antiquarum literarum constituant fructus, quos si abstuleris, omnino non sit cur prae omnibus aliis doctrinis, maximum institutionis juvenilis tempus huic studio tribuamus, optimum ad humanitatem ducem rati.

Haec vero ita se habere dies declarat et nemo facile inficietur, nisi qui studio et ira ductus verum non videt. At caussa et culpa non est in ipsa doctrina antiquitatis, sed

1) in ratione docendi linguas, graecam et latinam, et

2) in ratione legendi veteres auctores in scholis;

quae nisi emendetur, vel potius funditus tollatur, utilius omnino foret, doctrinam antiquitatis ex institutione publica amovere, et magnam aetatis juvenilis partem, quam occupat, impendere subtiliori studio sermonis patrii, et novarum linguarum, mathematicis, physicis, historiae naturali et historiae populorum. Res igitur magni momenti et accurata consideratione magistrorum digna.

---

*) O Filologii, p. 22. 30. 33. 65.

Primum omnium patet, studium linguarum graecae et latinae in institutione publica tantum receptum esse propter auctores graecos et latinos. Quamvis enim non contemnendam utilitatem afferat cognitio ingenii linguarum antiquarum, de qua in libro *O Filologii* p. 18 pluribus disputavimus, attamen ea sola non restituit jacturam temporis, praesertim cum alia ratione eadem comparari possit. Si igitur hoc consilio tam multum temporis studio utriusque linguae tribuimus, ut rebus *) potiamur, quae in scriptis Graecorum et Romanorum continentur **), in utraque lingua ita exerceamur, necesse est, ut auctores non solum intelligamus, sed etiam legere cupiamus. Etenim si in legendo auctore antiquo magnis defatigamur difficultatibus, a lectione deterremur, et quidem eo magis quo celerius progredi cupimus vi ingenii impulsi. Quotusquisque vero eorum qui in classes superiores Gymnasiorum promoventur, vel denique e scholis egrediuntur, tantam nactus est facilitatem intelligendi auctores veteres, ut eos cum voluptate legere possit? — De philologis non loquor. — Hac in re caussam gravissimam reperisse me puto, cur plerique egressi e scholis ne unum quidem auctorem graecum vel romanum in manus sumant, et paullatim utriusque linguae prorsus obliviscantur. Qui enim exigi potest a viris, multis et gravissimis rebus muneris occupatis, et laboribus diurnis defagitatis, ut sumto libro graeco vel latino misere excrucientur in exquirenda significatione verborum? Quam voluptatem capiet e legendo Homero, Platone, Cicerone, Virgilio et aliis, qui expedite et uno tenore (ut ajunt) auctorem legere nequit, cui lectio non praebet dulce lenimen laborum, cujus animum non

*) Cur versiones veterum auctorum usui quem quaerimus non inserviant, in libro O Filologii p. 70. 71. ostendimus.

**) De Philologis, Theologis, Jureconsultis hic non loquimur, sed de juvenibus ad humanitatem erudiendis in Gymnasiis.

reficit, verum acrius adeo intendit? et denique, quae inde redundare potest utilitas legenti, si magno cum labore aliquot versus perlegerit, quos fortasse ne intellexerit quidem? Haec caussa est, cur vulgo in manibus magistratuum, nobilium et omnium, qui quondam in scholis addiscendis linguis antiquis maximam partem aetatis juvenilis trivere, neque graecos nec latinos conspiciamus auctores. Qui vero aliter fieri potest, cum in omnibus scholis, germanicis non exceptis, linguae antiquae ita doceantur, ut bene addisci fere nequeant.

Primum tempus constitutum linguis antiquis in scholis nostris valde circumscriptum est. Olim nimis multa docebantur, quae studio antiquarum linguarum tempus praeripiebant. Haec minime ita a me dicta existimari velim, quasi vituperem magnos illos viros, qui instaurata meliore ratione institutionis publicae *) prudenter et apte tunc temporis scholas ordinavere. Illo tempore necessaria fuere multa et utilia in scholis, quae sunt superflua et noxia nostro. Eximie haec ostendit Szweykovius noster, vir acutus et imprimis doctus, in *Comparatione superiorum scholarum polonicarum cum germanicis etc.*, **) quo uno libro, ut Quinctiliani verbis de Persio utar, *multum et verae gloriae meruit.* Nunc vero cum Academiis merito conserventur multa scholis olim tributa, studio antiquarum linguarum plus temporis concedendum est. In Gymnasiis germanicis lingua latina magna auctoritate gaudet, sed graeca non item, quippe quae in classibus inferioribus vulgo plane non docetur, longe minus spatium temporis nacta, quam latina, quamvis multo difficilior. Hoc praecipue inde fit, quod Gymnasia non satis discernun-

---

*) Ab annis 1774, 75.

**) Uwagi nad wyższemi szkołami Polskiemi w porównaniu do niemieckich. W Warszawie 1808.

tur ab aliis scholis, de quo bene exposuit vir acutissimus Herbart in *Judicio paedagogico de classibus scholarum, etc.* *) Si enim Gymnasia vel Lycea sunt scholae in quibus juvenes ad humanitatem erudiri et ad omnem subtiliorem doctrinam praeparari debent, et literae antiquae horum studiorum habentur fundamentum, tunc necesse est, ut in Gymnasiis lingua graeca et latina aeque ab infima classe usque ad supremam maxima cum industria et sedulitate addiscantur. Hoc vero sine magno impendio temporis fieri nequit. Nam omnium aliarum doctrinarum ratio haec est, ut provectiores aetate eo facilius eas discant; at puer in linguis antiquis strenue non exercitatus raro evadet vir subtiliter doctus. Multae enim res minutae in studio linguarum antiquarum eo facilius occupantur, et eo accuratius et subtilius tenentur memoria, quo minus impedimur cogitatione et judicio.

Deinde in ratione docendi literas antiquas quae ubique in usu est

1) docere *linguam ipsam*,

2) exercere discipulos in *ratione scribendi*, et

3) legere et intelligere auctores ipsos graecos et latinos

haec tria, inquam, ita confunduntur, ut imperitis etiam linguarum graecae et latinae, summos explicent auctores, et rudes in lingua ipsa docere velint eleganter scribere; perinde ac si juvenes nostros Polonos, postquam aliquot vocabula germanica didicerint, et germanice neque loqui nec scribere scirent, ad legendum Goethium, Schillerum vel Klopstockium adducere vel in ratione eleganter germanice scribendi exerce-

*) **Pädagogisches Gutachten über Schul-Klassen, und deren Umwandlung nach der Idee des Herrn Regierungsrath Graff, von Joh. Fr. Herbart. Königsberg 1818.**

re vellemus. Vulgo enim in classibus inferioribus multum temporis non necessario consumitur in addiscendis formis graecis et latinis et regulis grammaticae, quas non intelligunt discipuli, nec usum perspiciunt; deinde discipuli semper fere tantum vertunt e linguis antiquis in linguam patriam, et demum in classibus superioribus nonnunquam e lingua patria in antiquam, latine loqui et scribere incipiunt et maximam partem locos excerptos ex operibus veterum auctorum legunt. Hinc fit ut discentes multos annos linguam graecam et latinam neque graece nec latine sciant. Memoria enim nostra ita comparata est, ut vocabula aliena, eorum significationes et usum celerius et subtilius teneamus, si vertimus e patrio sermone in alienum et loquimur, rursus obliviscamur, nec variam significationem bene perspiciamus, si semper fere e sermone alieno vertimus in nostrum. Itaque omnis lingua subtilius discitur continua exercitatione in loquendo et scribendo, et nemo linguam aliquam bene callet, qui ea loqui et scribere nescit. Falsa igitur est opinio illorum, qui non necessariam putant exercitationem graece et latine loquendi et scribendi, quod facultate scribendi et loquendi his linguis aut nunquam aut raro opus sit.

Ex his quae diximus apparet, vulgarem rationem docendi linguas antiquas convertendam esse. Primum addiscendae sunt linguae ipsae, deinde accedendum est ad legendos auctores et exercendam rationem bene scribendi. In infimis classibus puer statim incipiat latine loqui et vertere e patria lingua in latinam et in classibus graecis in graecam, ita ut maxima pars temporis linguis antiquis destinati hac exercitatione consumatur. Equidem non video, cur puer novem annorum eodem modo non possit incipere loqui latine, quo incipit loqui gallice, et (apud nos) germanice? Tempus vero linguae graecae et latinae constituendum, hoc fere modo distribuendum foret:

Gymnasium constet sex classibus, in qualibet classe per unamquamque septimanam 16. horae studio antiquarum literarum — 8. h. graecarum et 8. latinarum — destinentur.

Classis I. vel infima. 3. horae lectioni ad initio statim cum interpretatione conjunctae.

2. h. discendis et repetundis omnibus formis Grammaticae (magister antea in classe cum tironibus discat, quae subtilius etiam domi addiscant, ut discipuli intelligant, quomodo discere debeant).

3. h. componendis vocabulis — quae domi discipuli edidicerunt — scribendo. Jam ab infima classe usque ad supremam calamus ne excidat e manu discipuli, nam stilus, ut Cicero recte ait, *optimus* dicendi effector. *)

Magister his in exercitationibus locum teneat Grammaticae. Quatuor vero mensibus absolvat omnes formas Grammaticae, repetendo semper, quae jam didicerunt discipuli. Reliqua e Grammatica in vertendo explicanda et paullatim ediscenda sunt. In omnibus classibus magister utatur lingua latina explicando pueris singula vocabula et repetendo et excitando, ut tirones eodem modo iis utantur. Ne quis opinetur hoc multum temporis perdi, quia scilicet magister uno velut tenore docere non possit; docendo enim pauca docentur in scholis; magister potius discipulo ocassionem offerat loquendi; nam non quaeritur, quam multa magister docuerit, sed quae discipuli didicerint. Scio quidem hanc linguas docendi rationem requirere et doctrinam subtilem et ingenium versatile, nec tam commodam esse docentibus, at eo utiliorem discentibus, quippe quae una ad faciliorem usum eundemque subtiliorem ducat.

---

*) Cic. Orat. I. 33.

In classibus secunda et tertia quatuor horae adhibeantur ad vertendum e patria lingua in linguam antiquam scribendo, ita ut magister dictet polonice (germanice) et discipuli scribant latine (graece).

Una hora exercitiis, ut vocantur,

Una prosodiae et in tertia classe componendis versibus,

et duae ad vertendum e lingua antiqua in patriam.

In classe quarta quinque horae impendantur in lectionem veterum auctorum, una in versus pangendos, una in extemporalia quae dicuntur, et una in scribendas dissertationes.

In classe quinta et sexta sex horae destinentur *lectioni auctorum* et duae *exercitationibus poëticis et stili.* — *Prosodia*, et a tertia classe, exercitatio versus componendi, magni momenti est, nam multum ea juvat ad linguam subtilius addiscendam. Inepte reprehenditur ab his, qui rem non intelligunt, nam de poësi non loquimur, sed de lingua subtiliter addiscenda.

Si discipuli a classe infima scribendo et loquendo — eadem ratione qua boni magistri utuntur in docendis linguis novis — exercentur, tum progressi in classem IV. (III.) latine et graece satis scient, et praeparati accedent ad lectionem ipsorum auctorum graecorum, et ad exercendam latine scribendi rationem. Ut enim absurdum foret, discipulum imperitum adhuc linguae gallicae vel germanicae exercere velle in ratione eleganter gallice vel germanice scribendi, ita quoque frustra suscipitur labor in scribendis dissertationibus latinis, si discipuli latine loqui et scribere nondum didicerint.

Cum vero hoc modo, ut explicavimus, praeparati non impediantur lingua ipsa in legendo et scribendo, libenter et multa legent, et fructuosa erit lectio, atque stilum bene exercitare poterunt. Tum demum ea oborietur voluptas in legendo veteres auctores, quae tanto-

pere allicit, ut etiam egressi e scholis in deliciis eos habituri sint, cum non deterreantur a fontibus illis verae sapientiae difficultate intelligendi.

Alteram caussam et quidem gravissimam, cur studium antiquarum literarum tantam utilitatem non praebeat, quantam praebere possit, in tota ratione legendi auctores antiquos in scholis reperio.

Si consideraveris caussam, cur huic studio inter doctrinas animum juvenilem ad humanitatem erudientes primus tribuatur locus, facile intelliges, *in scholis* illud absolvendum esse, cum egressi e scholis, in Academiis singularum doctrinarum studio operam daturi, fructus ex illo studio percipiendos secum afferre debeant: animum, dico, multifarie excultum et praeparatum ad subtilius intelligenda, quae docentur in Academiis, et ad vitam regundam.

Hoc vero fieri non potest, nisi in scholis studium linguarum ipsarum praeiverit lectioni auctorum, ita ut in classibus superioribus auditores imprimis in legendis auctoribus elaborent. Cum enim in classes superiores progrediantur non satis versati in antiquis linguis ipsis, multa legi non possunt. At a Classe IV. ad VI. (vel ut in Germania non apte quidem numerant a III. ad I.) permulta legenda sunt; nam quae hic non leguntur, a plerisque nunquam legentur, nisi a philologis; et si non legentur, omnis fere perit fructus, cujus caussa tanti a juvenibus in studio graecae et latinae linguae suscipiuntur labores.

Sed non tantum multa legantur, verum etiam *tota opera* auctorum et non loci excerpti. Libri enim qui parvas narrationes, vel locos ex auctoribus veteribus excerptos continent et nomine Chrestomathiarum veneunt, in infimis duabus classibus tantum cum fructu adhiberi possunt, nimirum ubi de sola lingua addiscenda agitur, non item in classibus, ubi rebus et rationi scribendi auctorum veterum ad animum

excolendum studemus. Huic consilio omnes illius generis libri ita adversantur, ut e classibus superioribus prorsus expellendi sint. Qui enim juvenes cognoscant ingenium auctoris, ex ejus lectione ferant fructum et praestantia ejus invitentur ad contrahendam cum antiquitate familiaritatem, quae aetate juvenili comparata, per totam vitam eos non destituat, si singulae tantum offae cibi divini apponuntur? De ingenio enim veterum auctorum hic agitur, de sobria et justa res considerandi et agendi ratione, qua imbuantur animi juveniles, et inde sibi, ut Livii verbis utar, et reipublicae, quod imitentur, capiant, inde (in quacunque re) foedum *inceptu, foedum exitu*, quod vitent. Hoc vero lectis *locis abruptis fieri nequit. Egressi e scholis* scilicet legent auctores ipsos! Et, si legent, tunc serent, ubi metere deberent. Praeterea divinae originis semina in praestantibus veterum auctorum operibus contenta, aetate juvenili accipiuntur pia et pura mente, qua adjuta eam vim exercent, quae juvenem olim reddat virum *eximium et civem utilem rei publicae.*

Magnopere id quoque refert, qua serie auctores veteres legantur. Tironibus in classibus duabus inferioribus continua versione e lingua patria in linguam graecam et multa lectione librorum inferioribus classibus destinatorum, de quibus locuti sumus (Lesebücher), satis exercitatis primus auctorum graecorum in manus detur in classe III. (IV.) Homerus, et quidem ejus Odyssea, simul cum ea in classe IV. (III.) Herodotus, in classe V. (IV.) Ilias et Xenophontis Memorabilia et Cyropaedia; in suprema lectionem finiant Plato, Thucydides et Tragici. Puer non tantum melius intelligit Homerum quam vir, verum etiam hac lectione mire attrahetur ad subtilius auctorum graecorum studium.

Latinorum auctorum ordinem incipiant Eutropius (in classe II), Justinus, (III.), Julius Caesar (IV.) et Ovidius (Metam.), ab iis discipuli progrediantur ad Livium, Ciceronem, Virgilium et Odas Horatii, et legant in classe suprema Sallustium, Tacitum, epistolas et sermones Horatii.

Auctores graeci et latini inter hos quos primos et ultimos legendos significavimus, eligendi sunt historici et opera philosophica, quae res recte considerandi et cogitandi exercent facultatem, ut Disputationes Tusculanae, Quaestiones Academicae, opera Platonis, Characteres *Theophrasti*, et hoc genus alia.

Quod vero ad ipsam lectionem veterum auctorum attinet, magnum intercedit discrimen inter lectionem philologicam et eam, qua opus est in scholis. Cum philologus in eo elaboret, ut adjutus omnibus adminiculis intelligere doceat veteres auctores et cognoscere totam antiquitatem, opera vero Graecorum et Romanorum, corrupta saepe et manca, variis lectionibus scateant, tum praeter subtilem linguarum cognitionem acuto judicio, et inter varias lectiones optimam eligendi facultate carere non potest. Lectionem igitur philologicam vocamus eam, qua juvenis praeparatur ad exercendum quondam munus philologi; quo in studio non id quod continetur in auctoribus antiquis, sed sermo, textus, non *contentum* sed *continens* primum locum obtinet. Cum vero scholae publicae non habeantur ad formandos philologos, sed ut animi juveniles excolantur ad vitam sapienter et feliciter agundam, et prudenter fungendum quovis officio, cui consilio quae continentur in auctoribus veteribus tantum inserviunt, clare apparet, lectionem auctorum veterum in scholis publicis hoc modo esse suscipiendam, ut quae Graeci et Romani

fortiter fecerint, egregie cogitaverint et eleganter elocuti sint, animos juveniles prorsus occupent, acuant mentem, excitent et nutriant propriam cogitandi, et cogitata scite, apte et pulchre reddendi facultatem, colant sensum pulchri, magno honesti amore afficiant et ad egregie facta corroborent. Hoc munus requirit magistrum, praeter subtilem doctrinam, ea facultate docendi instructum, quae solummodo e magno studio optimorum operum veterum et novorum auctorum et cognitione naturae humanae et vitae ipsius oritur, et discipulum strenue in linguis antiquis exercitatum. Hac de caussa in tribus classibus inferioribus commendavimus rationem docendi et discendi usui accommodatam. Viros subtiliter doctos in scholis ubique reperimus, sed quos significarimus literarum antiquarum magistros perpaucos. Rursus vero ante aliquot annos nonnulli paedagogi ineptissime adhortati ad studium *rerum* in auctoribus veteribus contentarum, hoc sibi consequi posse videbantur neglecto subtili studio linguarum antiquarum. Contra hos ne verbo quidem opus est; his enim auctoribus in multis scholis publicis cum subtilitate studii antiquarum doctrinarum omnis vera subtilitas in excolenda juventute evanuit, easque pestis illa nimis multa docendi, et nil recte sciendi invasit, quam semper comitatur ostentatio et superbia, qua juventutem egregie excellere, scriptores nostrorum temporum valde queruntur. Attamen quilibet intelligit, subtilitatem in legendis auctoribus quam in scholis necessariam censemus, quamvis nitatur accurata cognitione linguarum, maxime diversam esse a subtilitate lectionis philologicae, ita ut altera alteri officiat, et detrimento sit, cum magister necessario vel frigidus vel prolixus fiat. In lectione enim philologica criticorum emendationes merito detinent magistrum ad acuendum ingenium philologicum, et nonnunquam maximi momenti sunt, etiamsi rejiciendae — ut exempli caussa saepissi-

-me emendationes Bentleji, imprimis in odis Horatii. Itaque in oda III. v. 18. (lib. 1.) apte sane et cum fructu diutius commorabitur utrum *siccis*, an cum Bentlejo *rectis*, an cum Cuninghamo *fixis* oculis legendum sit, praelecta eximia defensione lectionis Bentleji; ita Reizii conjectura Liv. VII. 8. *Signinis* pro signis; pulcherrimae illae emendationes Flor II. 2. *omnium in eo mari jacentium* pro omnium imperia gentium, insularum litora, etc. Cic. Academ. Quaest. I. 4. *Academiam, a qua absum tam diu*, ut Aldus dedit pro: Academiam aqua absumtam diu; et locus corruptus in Hist. nat. Plinii *) „Id quod exclusum est, primum vermiculus videtur candidus, jacens transversus, adhaerensque ita *ut pascere videatur;*" ubi mera ingenii conjectura eximie correxit Petavius: *ut pars cerae videatur* — ita, dico, hae et innumerae aliae conjecturae et emendationes uberrimam magistro docto et prompto praebent materiam exercitandi acumen auditorum, suumque sibi requirunt tempus — in lectione de qua loquimur non item.

Porro disqusitiones utrum opus auctoris, cujus esse fertur, re vera sit nec ne, in lectione philologica praetermitti non possunt. Ita in legendo Dialogo de caussis corruptae eloquentiae exponendum est, cur haec dissertatio neque Tacito, **) nec Quinctiliano adscribi possit, cur orationes pro M. Marcello et aliae spuriae putentur, de

*) Hist. natur. XI. 16.

**) Argumenta quibus nuper Broterius (Dureau de Lamalle) et alii hunc libellum Tacito vindicare conati sunt, quomodo assiduo et diligenti lectori Annalium et Historiarum arridere possint, non intelligo. Stilus enim prorsus abnuit, non fallax, ut sospitator Taciti, Lipsius dicit, in hoc genere argumentum; sed quid loquor de stilo? mens Taciti non spirat in Dialogo. Si vero illi viri docti multum

prisca et genuia forma variisque mutationibus operum Homericorum et hoc genus alia, quae in nostra lectione leviter tantum tangenda sunt.

Porro lectioni philologicae omnes auctores inserviunt, lectioni de qua loquimur non item; nonnulla opera adeo illi commendanda, quae ab hac prorsus amovenda sunt, ut ex. c. Alcibiades secundus — propter multos locos corruptos, eximiam ad ingenium auditorum exercendum praebentes materiam — vel Plauti comoediae propter genuinam latinitatem et alia.

Ne hoc in loco mihi quis objiciat, me vituperare, quae nusquam reperiantur. At reperiuntur sane; nisi forte hoc, tunc alio modo. Hoc certe neminem qui scholarum publicarum rationem subtilius cognoverit, fugere potest, permultos magistros antiquarum literarum his oculis videre auctores veteres, quibus cadavera medicos, haud dissimiles iis, qui aperiundis et secandis cadaveribus artis suae terminent modum.

---

praesidii sententiae suae in eo quaerunt, quod juvenes prorsus aliter et cogitent et scribant, ac viri, non animadverterunt, hoc tantum accidere ingeniis non excellentibus singulari et propria prorsus forma et specie, at nunquam Tacitis. Et quamvis Oberlinio concedamus, aliud esse historiam scribere, aliud dialogum, nemo facile affirmet, ingenia, ut Taciti erat, se ipsa unquam destituere posse. Similes vero dicendi formae e dialogo acute collectae, et tanquam vestigia rationis scribendi viri Taciti in juvene Tacito deprehensae ex aliis quoque operibus, quae nemo unquam Tacito attribuere voluerit, conquiri possunt.

Ex his paucis quae exposuimus, satis apparet, non in literis antiquis, sed in ratione docendi eas, positum esse, si fructus e studio earum non percipiantur, quos in libro „O Filologii" laudavimus.

Amplectamini igitur Juvenes Poloni literas antiquas ea sedulitate eoque ardore, qui, genti Polonorum proprius, in omnibus, quae digna statuant, in quibus elaborent, magna efficere potest. Decimo sexto seculo Musae romanae in Poloniam emigrasse et in patria nostra receptaculum reperisse videbantur. Polonos Henricum Valesium Parisiis Regem salutantes et omnes Romano sermone instar veterum Romanorum loquentes, ita ut nemo in illa sede literarum iis par haberetur, admiratos esse Gallos — excultissimum tunc temporis populum — narrat Thuanus; *) eleganti sermone latino et subtili doctrina prae omnibus sui temporis viris doctis excelluit Zamoyscius. Alterum Horatium in Polonia tantum videre nova tempora Sarbievium. Eximia haec majorum vestrorum exempla imitati, enitamini, ut eadem subtili doctrina in literis antiquis excellatis et scholae nostrae in hac gravissima institutionis publicae parte easdem sibi vindicent laudes, quibus in mathematicis eas extulit vir doctissimus Langsdorfius. **)

Utamini igitur assidue doctis magistris quorum numerus nuper cura Viri Excellentissimi Summi Praesidis Magni Ducatus Posnaniensis

---

*) Tom. 6. p. 699. conferantur Hist. de France par Daniel Tom. 5. p. 995. et Solignac. libro 23.

**) Neue Erweiterungen der mechanischen Wissenschaften besonders zur Vervollkomnung der Maschinenlehre etc. Von C. C. Langsdorf. Manheim u. Heidelberg 1816. Conf. Praefatio.

Zerboni di Sposetti, cujus in juventutem polonicam meritis maximas habemus gratias, eximie auctus est, ut subtili doctrina antiquarum literarum instructi, non tantum aetate juvenili, verum per totam etiam vitam vestram magno cum fructu lectionem veterum auctorum in deliciis habeatis, in quibus (ut Marci Antonini verbis hoc in loco utar)

ἡ πηγὴ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ ἀεὶ ἀναβλύειν δυναμένη,
ἐὰν ἀεὶ σκάπτῃς.

DODATEK
do Programmatu szkolnego roku 1819.

Urządzenie Królewskiego Gimnazyum Poznańskiego w zeszłym roku szkolnym 18$\frac{18}{19}$ co do istoty to samo było, iak ie wystawia Programma na rok 1817. Nauki, równie iak dawniéy, we wszystkich Klassach w ięzyku polskim bywaią dawané. Co do osób uczących zaszły niektóre odmiany. Professor literatury starożytnéy JP. Doktor Gerhard, który przez krótki czas swego u nas pobytu umiał sobie pozyskać powszechny szacunek i miłość Kollegów i Uczniów, zmuszonym został dla słabowitości zdrowia to mieysce opuścić. Zaiął ie tymczasowo JX. Kassyusz, trudniący się od lat kilku dawaniem greckiego i łacińskiego ięzyka w średnich i wyższych Klassach szkół naszych. JP. Professor Dokt. Bernd, powołany na Sekretarza Uniwersyteckiéy Biblioteki do Bony udał się tamże dla obięcia swego urzędu. Na mieysce iego, tudzież JX. Kassyusza wezwano z Krakowa JPP. Troiańskiego i Muczkowskiego. Z tych pierwszy, znany chlubnie iako autor z wydanéy niedawno Grammatyki łacińskiéy dla szkół polskich, zaraz po Wielkanocy, na zlecenie Prześw. Królews. Konsystorza i Kollegium szkolnego, przez Rektora do szkół wprowadzonym został; ostatni ponieważ w krótce przed ukończeniem kursu do nas przybył, obiął z początku tymczasowo pełnienie obowiązków, do których był powołany. — Professorowi Matematyki JP. Buchowskiemu, który w tym roku zostawał przy Gimnazyum Płockiém, zezwoliło Wysokie Ministery-

um Królewskie na powiększenie pensyi roczney o Tal. 300. Powróci więc nazad do szkół naszych, i od 1go Września dawanie lekcyi w swoim przedmiocie rozpocznie. Raczyło także Wysokie Król. Ministeryum przeznaczyć tymczasem 400 Tal. na zakupienie potrzebnieyszych dzieł do Biblioteki szkolney.

W zeszłym roku przyięto do szkół 131 nowo przybyłych. Liczba uczniów doszła do 560.

Następuiący Uczniowie udaią się w tym roku do Uniwersytetu po złożeniu examinu Maturitatis: Maxymilian Braun, Ludwik Guderyan, Marcin Klupsz, Adam Loga, Maurycy Müller, Jakób Peyser, Jan Skórzewski, Józef Stefański, Leon Smitkowski, Józef Zborowski.

Popis publiczny

na który szanownych Rodziców i Opiekunów naszych Uczniów, i wszystkich Przyiacioł nauk szkolnych uniżenie zapraszam, w następuiącym odbędzie się porządku:

w Poniedziałek dnia 26. Lipca.

Od 9 do 10. pierwszy oddział Klassy I. *)
— 10 — 11. drugi oddział klassy I.
— 11 — 12½ pierwszy oddział klassy II.
— 12½ — 2. drugi oddział Klassy II.

---

*) Z każdéy Klassy będą uczniowie deklamowali w ięzyku polskim, niemieckim, francuzkim, a w wyższych i w łacińskim.

we Wtorek dnia 27. Lipca.

Od 9 do pół 11 piérwszy oddział Klassy III.
— pół 11 do 12 drugi oddział Klassy III.
— 12 do 2 Klassa IV.

we Srodę dnia 28. Lipca.

Od 9 do 11. Klassa V.
— 11 — 2. Klassa VI.

Na zakończenie zaś popisu, Uczniowie trzech Klass muzycznych, pod przewodnictwem Nauczyciela muzyki JP. Scigalskiego, dadzą dowody swych postępów w śpiewaniu i graniu w następuiący sposób:

1. Spiewany będzie Hymn Didlera i
2. Hymn Mozarta;
3. Jeden z Uczniów Klassy VI. grać będzie na skrzypcach Koncert Rodego.
4. Spiewana będzie z całą Orgiestrą msza Lassera.

we Czwartek dnia 29. Lipca.

Promocye i pochwały czytané, nagrody rozdawané, i niektóre stósowné do okoliczności mowy miané, a nakoniec odchodzący do Akademii Uczniowie uroczyście żegnani będą.

Uroczystość ta zacznie się o godzinie 10.

Nauczyciel łacińskiego i greckiego ięzyka JP. Troiański otworzy ią mową polską: o rytmiczności polskiego ięzyka.

JP. Józef Stefański, Uczeń Klassy VI. powie w ięzyku niemieckim o pożyteczności i szkodliwości sztuki drukarskiéy.

Tu Rektor tegoroczne promocye przeczyta.

JP. Adam Łoga, Uczeń Klassy VI. mówić będzie w polskim ięzyku na pochwałę Jana Zamoyskiego w trzech względach: iako uczonego męża, dobrego obywatela i walecznego hetmana.

JP. Leon Smitkowski Uczeń Klassy VI. mieć będzie mowę w francuzkim ięzyku: o zasługach Moliera.

Po czém nastąpi przeczytanie pochwał publicznych i rozdawanie nagród.

JP. Maxymilian Braun mówić będzie w ięzyku łacińskim: de luxu Romanorum; i pożegna Gimnazyum imieniem odchodzących.

JP. Hektor Kwilecki, Uczeń Klassy V. w imieniu zostaiących mową łacińską odpowie.

Naostatek Rektor patenta odchodzącym wręczy, pożegna ich w łacińskim ięzyku, i zakończy uroczystość.

